



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De duobus æque bonis quorum alter post mortem plura habet auxilia. D

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

Matth 5. a  
Luca 6. c  
De verbis  
Apost. serm.  
17.

est regnum cœlorum, quos ibi fecerunt amicos de  
mãmona iniquitatis. Quorundam tanta est perfe-  
ctio: vt his adiutoriis nō indigeant: quales sunt A-  
postoli & Martyres. Vt n. ait Aug. Iniuria est pro  
Martyre orare in Ecclesia, cuius nos debem⁹ ora-  
tionibus cōmendari: pro aliis a. defunctis oratur.

*De officiis sepultura.*

Aug. l. 1. de  
Ciu. Dei, ca.  
12.

De pompis vero exequiarum idem Aug. ita dicit,  
Pompa funeris, agmina exequiarū, sumptuosa di-  
ligētia sepulturæ, viuorum sunt qualiacunq; sola-  
tia, non adiutoria mortuorū, quia si aliquid p̄dest  
impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis vel nulla.

Luc. 16. f. g

præclaras exequias in cōspectu hominū purpura-  
to illi diuiti exhibuit turba famulorū: sed multo  
clariore in cōspectu Dñi, vlceroso illi pauperi mi-  
nisteriū exhibuit angelorū, qui eum extulerunt nō  
in marmoreū tumulum, sed in Abrahæ gremium.  
Sit tñ cura mortuos sepeliendi, & sepulchra con-  
struēdi: quia hæc in scripturis sanctis inter bona o-  
pera deputata sunt: nec solū in corporib. patriar-  
charū aliorumq; sanctorū, sed etiam in ipsius Dñi  
corpore, qui ista fecerunt laudati sunt. Impleant

Gen. 23. a  
35. a. &  
35. b. & 50. a

igitur homines erga suos officia postremi mune-  
ris, & sui humani lenimenta mœroris. Verum illa  
quæ adiuuant spiritus defunctorum, scilicet oblatio-  
nes, orationes, multo obseruantius procurent.

*De duobus æquè bonis, quorum alter plura post mor-  
tem habet auxilia.*

Solet moueri quæstio de duobus, vno diuite, al-  
tero paupere, pariter sed mediocriter bonis, qui  
prædictis suffragiis indigēt, & meruerunt pariter  
post mortem iuuari: pro altero vero, i. pro diuite,  
speciales & communes sunt orationes, multaq;  
elemosynarū largitiones: pro paupere vero non  
sunt, nisi cōmunes largitiones & orationes. Quæ-  
ritur ergo, an tantum iuuetur pauper pauciorib;  
subsidiis, quantum diues ampliorib;. Si nō pariter  
iuua-

iuuatur, nō ei redditur secundum merita. Meruit  
n. pariter iuari: quia pariter boni extiterunt. Si  
vero tantum suffragii consequitur pauper, quan-  
tum diues: quid contulerunt diuiti illa specialiter  
pro ea facta? Sanè dici potest, non ei magis valuis-  
se generalia & specialia, quam pauperi sola gene-  
ralia suffragia. Et tamen profuerunt diuiti specia-  
lia non quidem ad aliud vel magis aliquid, sed ad  
idem quod generalia, vt ex plurib. & diuersis cau-  
sis vnum perciperetur emolumentum. Potest ta-  
men dici aliter, illa plura subsidia contulisse diuiti  
celeriores absolutionem, non pleniores.

*Quibus suffragiis iuuabuntur mediocriter boni, qui in  
fine inueniuntur.* E

Sed iterum quæritur de aliquo mediocriter bo-  
no, qui talib. indigēs suffragiis, in ipso consumma-  
tionis articulo cū reliquis migrabit, si saluus fue-  
rit: pro eo nō offertur vlteri⁹ sacrificium, vel ora-  
tio, vel elemosyna: nec habebat tantæ perfectio-  
nis merita, quæ his suffragiis non egerēt. Nunquid  
ergo saluabitur? Existimo eum quasi per ignem  
transeuntem, saluari meritis & intercessionibus  
cœlestis Ecclesiæ: quæ pro fidelibus semper inter-  
cedit voto & merito, donec impleatur Christus.

1. Cor. 13. a. b.

*Quomodo sancti glorificati audiunt preces supplicantium: &  
quomodo intercedunt pro nobis ad Dominum.* F

Sed fortè quæris. Nunquid preces supplicantium  
sancti audiunt, & vota postulantiū in eorum noti-  
tiā perueniūt? Non est incredibile, animos sancto-  
rum, q̄ in abscondito faciei Dei veri luminis illu-  
stratione lætantur, in ipsis cōtemplatione ea quæ  
foris aguntur intelligere, quātum vel illis ad gau-  
dium, vel nobis ad auxilium pertinet. Sicut n. an-  
gelis, ita & sanctis qui Dei assistunt, petitiones no-  
stræ innotescunt in verbo Dei, q̄ contēplantur, vn-  
de & dicuntur angeli orationes & vota nostra of-  
ferre Deo: nō quia eum doceāt, sed quia ei⁹ volun-  
tatem

Tobia 3. d.